



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,
Et Vitiis Contrariis, In ...**

Continet Tractatum Serie Vigessimvm-Octavvm De Matrimoniis, &
Sponsalibus, cum Indicibus necessariis

Castro Palao, Fernando de

Lugduni, 1669

An ratione loci, & temporis impediuntur coniuges à debiti petitione, &
redditione. §. 4.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76659)

An ratione loci, & temporis impediatur coniuges à debiti petitione, & redditione?

- 1 Illicita est copula coniugalis in loco publico.
- 2 Quid de loco sacro? Remissive respondetur.
- 3 Copula coniugalis non susceptis velationibus licet.
- 4 Ex consensu utriusque intra bimestre. Secus altero resistente.
- 5 Diebus feriatis processio, vel ieiunij licet, est convenientissimum sit ab ea abstinere.
- 6 In diebus petenti obligatus est alter coniux reddere.
- 7 Tempore fluxus menstrui non est mortale debitum petere.
- 8 An sit culpa venialis ex fine petitionis? decidendum est.
- 9 Ex parte reddentis nulla est culpa.
- 10 Tempore pragnationis, si probabile esset periculum abortus, illicita esset debiti petitiō, & redditiō. Secus seclusorali periculo, ut committere contingit.
- 11 Idem est si periculum absque receptum semen effundendi.
- 12 Secluso prædicto periculo non est mortale eo tempore reddere, vel petere.
- 13 Quod dictum est de copula tempore menstruo, dicendum est quando habetur post partum, antequam mulier à sanguine purificetur.
- 14 Tempore quo proles lactatur, nulla est obligatio coniugibus abstinendi à debiti petitione.
- 15 Coniux cui debitum petitur in prædictis casibus obligatus est reddere.
- 16 Viroque coniuge aherente copula per se illicita est.
- 17 Viro rationis compos potest à viro infanso debitum petere.
- 18 Coniux sana mentis per se non tenetur debitum reddere ameniter.

Quod ad locum attinet in confesso est apud omnes illicitam esse copulam coniugalem publicè id est coram aliis, quia esto de facto nemini ruina sit, ex se tamen decet, & honestati aduersatur, occasioneque præbet ad peccandum turpis desiderij, vel saltem delectationis mortale idèque testatur Sanch. lib. 9. de matrim. disp. 15. num. 1. neminem inuenisse de hac re dubitantem. Quod non solum intelligendum est de copula coniugali, sed de quibuscunque actibus aliis turpibus, ut potè ad Venereum valde incitantibus, sicuti notauit idem Sanch. num. 2.

Si verò de loco sacro scimo sit tract. 1. 1. de immunit. Ecclesie punct. 2. relatis diuersis opinionibus, censui probabilius copulam coniugalem ibidem licitam esse, si alteri coniugum necessaria sit ad vitandum incontinentiæ periculum; eo quòd diu reclusi continentur absque potestate exundi: secus verò si ad prædictum finem necessaria non sit, possitque extra locum sacrum haberi, ut præter ibi relatos docet Coninch. disp. 34. dub. 9. conel. 8. Gaspar Hurtado disp. 10. disp. 4. num. 16. Quæ omnia loco prædicto probaui, neque aliquid nouum addendum occurrit.

Quod ad tempus spectat, variæ difficultates agitari possent. Prima: An non susceptis velationibus copula coniugalis illicita sit? Cui difficultati disp. præced. punct. 13. §. 5. respondit, per se nullum esse peccatum, eo quòd Concilium Trident. non verbis indicantibus præceptum, sed consilium vtarur.

Secunda: An ante tractatum bimestre concessum ad deliberandum de religionis ingressu liceat? Et nemini est dubium licere, si ex consensu utriusque habeatur, secus verò si aliquis resistat intendens religionem ingredi, quia ius sibi concessum de religionis ingressu violatur, sicuti latius dixi hæc disp. punct. 2. §. 5.

Tertia: An diebus feriatis processio, vel ieiunij liceat prædicta copula? Et nemini est dubium convenientissimum esse prædictis diebus abstinere, ut feruentius possint coniuges orationi, aliisque pijs operibus vacare: cui feruori non leuiter obstat coniugalis vsus ob voluptatem sibi innatam. At cum nullibi sit prohibitus coniugalis vsus, nulla est culpa, si prædictis diebus habeatur. Quippe etsi plures sancti relati à Gratiano 33. quæst. 4. diebus feriatis, & ieiuniorum asserant coniuges à copula debere abstinere, intelligendi sunt ex decencia, & honestate, & ut liberiùs orationi assistant, ut ibidem explicat Glossa, & licet Innocent. Pontifex in cap. proposuisti. 82. disp. vsus fuerit verbo præcepit, ibi: Nam sic Paul. ad Corinth. scribit dicens. Abstinetis vos ad tempus, ut expeditius vacetis orationi, & hoc vitique laicis præcepit. Glossa verbum præcepit pro persuasit, intellexit. Atque ita plurius relatis docet Sanch. lib. 9. disp. 12. à n. 5. Coninch. disp. 34. dub. 9. num. 75. Basili. Ponce, lib. 10. cap. 9. num. 5. Gaspar Hurtado, disp. 10. disp. 3. num. 9.

Ex quo inferendum est, his diebus petenti obligatum esse coniugem reddere sub graui culpa; quia ob illam indecentiam obligatio iustitiæ non suspenditur, ut docuerunt D. Antonin. 3. part. tit. 1. cap. 20. §. 7. Paludan. in 4. d. 2. quæst. 1. art. 1. num. 4. Sanch. dicta. disp. 12. num. 7. Coninch. num. 75. & alij apud ipsos.

Quæ dicta sunt de diebus feriatis à fortiori procedunt de illo die, quo sacra Eucharistia recepta, vel recipienda est, uti latius dixi tract. de Euchar. punct. 13. & videri potest Sanch. lib. 9. disp. 13. per totam.

Quarta: An tempore quo femina patitur fluxum menstruum licita sit debiti petitiō, & redditiō? Duplex est dubitandi ratio Prima ex parte prolis, quæ si eo tempore concipiatur exponitur periculo nascendi leprosa, vel menstrua. Secunda ex parte seminis, quòd videtur in vanum effundi, cum raro, vel nunquam eo tempore apta sit mulier conceptioni. Ob quas rationes plures Doctores, ut videtur est apud Sanch. lib. 9. disp. 21. à num. 1. censent illicitam esse debiti petitionem, saltem sub veniali culpa. Cæterum verius existimo culpam mortalem non esse eo tempore debitum petere; quia ex iure positivo nulla stat prohibitio. Ex iure autem naturali non apparet grauis indecentia in eo coitu: Neque enim coniuges tenentur à copula abstinere, quoties generatio subsequenda non est; alias senes, & steriles non se cognoscere possent: damnum autem, quòd proli sublequi potest timendum non est, ut potè fere nunquam contingens, & esto aliquando contingeret, melius est proli esse lepra infectam, quam non esse. Si autem ille coitus tunc non haberetur, fortè postmodum non esset generatio, aut non esset eadem, ergo ex nullo capite copula illa mortalem culpam constituere potest. Atque ita docet plurius relatis Sanch. lib. 9. disp. 21. num. 7. iuncto num. 5. Gaspar Hurtado disp. 10. disp. 3. num. 10. Basili. Ponce, lib. 10. cap. 14. num. 5. & c. Coninch. disputatio 34. dub. 9. numero 76.

An verò culpa venialis sit eo tempore debitum petere? Ex fine petitionis decidendum est. Si enim ob vitandum in te, vel in altero coniuge incontinentiam, vel aliquod dissidium, aut rixam sedandam, amoremque coniugalem fouendum ducatur, nulla erit culpa, ut estè Sanch. d. disp. 21. num. 5. & 7. Basili. num. 5. Hurtado difficult. 3. num. 10. Azor. 1. lib. 3. cap. 3. 1. quæst. 13. At si prædictos fines, vel similes secludas, & gratia voluptatis percipiendæ debitum eo tempore exigas, culpam venialem committes, sicuti docent prædicti Doctores, partim quia ille accessus indecentiam continet, & animum indicat nimis voluptati debitum: partim quia femina eo tempore conceptioni inepta est, præcipuisque finis coniugalis copule, qui est prolis generatio frustraneus redditur.

Illud verò certum existimo ex parte reddentis nullam esse culpam debitum sic petitiū reddere, quia ea redditiō honestissimum finem habet, nempe obligationi ex iustitia satisfacere, ob quam tollitur indecentia, quæ in eo actu interuenire possit, sicuti contingit, cum ob periculum incontinentiæ vitandæ ea copula habeatur. Atque ita verius est non solum posse feminam viro petenti debitum reddere, sed esse obligatam, si ipse vir seriu, & constanter petat, ut bene aliis relatis docet Sanch. dicta. disp. 1. num. 16. Coninch. d. hb. 9. conel. 2.

Prædictæ quæstioni proxima est quinta, An tempore pragnationis licitum sit coniugibus petere, redderèque debitum? Et quidem si probabile esset periculum abortus fortis animari omnes conveniunt illicitam esse petitionem, & redditionem, neque honestandam ob vitandum incontinentiæ periculum, cui aliis viis succurri potest: vita enim innocentis prædicto periculo preferenda est. Verum ut rectè aduertit Sanch. lib. 9. disputat. 22. numero 1. Coninch. disputat. 34. dub. 9. conel. 3. Gaspar Hurtado disp. 10. difficult. 3. Basili. Ponce, lib. 10. cap. 14. n. 7. raro vel nunquam prædictum contingit periculum, idèque timendum non est, neque ob illud vsu iuris sibi debiti priuandum.

Grauius periculum est receptum semen effundendi, & materiam incipientem coagulari dissipandi, si immediatè post conceptionem coniux cognoscatur. Sed neque in isto casu accessus ad coniugem censendus est moralis, ut rectè Angel. verbo Debitum num. 3. Syluest. ibidem quæst. 5. Sanch. d. disp. 22. num. 1. Coninch. conel. 3. Gaspar Hurtado difficult. 3. numero 12. Quippè prædictum periculum non est morale, cum raro, vel nunquam contingat; eo quòd post conceptionem matrix omnino claudatur, neque ob irritationem coitus præsumenda est aperitio. Neque casus euenire potest, in quo coniuges cognoscere possint prædictum periculum subesse. Præterquam quòd dissipatio illius materiæ cum præter intentionem eueniat, non est tanti momenti, ut ob id coniuges iure se cognoscendi priuari debeant.

Secluso autem prædicto periculo omnes Doctores supra relati testantur non esse mortale eo tempore petere, vel reddere debitum, quia iuris positivi nulla stat prohibitio; ex iure autem naturali etsi videatur aliqua indecentia copulam habere tempore quo mulier conceptioni inepta est. At cum matris monium

monium non solum ad prolis generationem, sed ad concupiscentia mitigationem sic institutum, optimè ob prædictum finem copula habetur. Quapropter si petens debitum prædicto sine sedandi concupiscentiam, vel alio simili ducatur non solum culpam mortalem, sed etiam venialem vitabit. Neque his obstat quod coniux eo tempore incepta sit conceptioni, & semen suo sine principali priuatur, quia per accidens id contingit ob prægnationem, non ex modo concubitus, quod ad peccandum necessarium erat.

13 Si autem copula habeatur immediatè post partum, antequam mulier à sanguine purificata sit, existimo idem esse dicendum ac de coniuge menstrua; quia in utroque casu est quedam indecentia, & nimia voluptatis signum. Quare nisi ad vitandum incontinentia periculum, sedandam que rixam vel discordiam copula habeatur, veniale peccatum erit. Secus, verò si aliquo ex prædictis finibus ducatur, sic Basili. Ponce, dicto cap. 14. num. 8.

14 Illud certius tempore, quo proles lactatur nullam esse obligationem coniugibus abstinenti à debiti petitione: esse enim intolerabile iugum, & ferè impossibile coniuges simul habitantes tamdiu abstinere; præcipuè cum proli, quæ lactatur nullum damnum immincat, nec foetui concipiendo, ut experientia testatur. Quod si ex concepto foetu agnoscerent coniuges vbera esse sicanda, & ex alia parte carerent diuitiis, quibus possent prolem alteri lactandam tradere, adhuc credit Sanch. & rectè d. disp. 22. num. 15. non esse obligatum virum abstinere à debiti petitione sibi moraliter impossibili; eo quod proli succurri potest, vel illam exponendo, vel ex elemosynis alendo, ac si mater obiret.

15 Pro certo tamen habendum est in prædictis casibus huius quaestiones, coniugem cui debitum petitur obligatum esse reddere; quia esto petens aliquam culpam venialem committat exigendo ob defectum recti finis: at reddens ab ea culpa immunis est, cum recto sine ducatur satisfaciendi obligationi ex iustitia debita, sicuti aduertit Coninch. Sanch. Gaspar Hurt. loc. alleg.

16 Sexta quaestio: An tempore amentia licita sit petitio, & redditio debiti? Breuiter respondeo utroque coniuge amente copula per se illicita est, ob periculum mala educationis prolis, per accidens tamen à peccato excusatur, quia libertate carent, ideoque separandi sunt, ne se carnaliter cognoscant. Qui verò eos ad coitum excitat sine dubio mortale committeret ob damnum, quod proli sequitur carendo parentibus, qui eam instruere possint: sic Ludouic. Lopez, 2. part. instruct. capite 52. ad finem. Petr. de Ledesma. quæst. 58. artic. 3. dub. 2. Sanchez disputatio 23. numero 5. Basili. Ponce, lib. 10. cap. 14. in fine. Coninch. disputatio 34. dubit. 9. conclus. 6. Idem est si coniux sit furiosa, & non sterilis, quia adest periculum suffocandi prolem. Secus verò si aliqua ex prædictis conditionibus cesserit, & vir sit sui compos; quia cessat periculum abortus, malaque educationis prolis, cum habeat parentem, qui eam commode poterit educare, uti nuper relati docuerunt.

17 Illud certius vxorem rationis compotem posse à viro infano debitum petere, quia petit copulam sibi debitam, à qua ob defectum iudicij in altero coniuge, priuari non debet. Quod adèò verum est, ut etiam à debiti periculum. Quod infans extra vas seminet, non tenetur coniux sanæ mentis à debiti petitione abstinere, quia illa effusio est præter eius intentionem, neque illi vitæ suo iure vtenti tribuenda est. Sicuti docuit Sorus in 4. d. 34. quæst. vnicæ. art. 4. ad finem corp. Petr. de Ledesma. quæst. 58. artic. 3. dub. 2. in solut. ad 3. Henriq. lib. 11. cap. 15. num. 4. & 10. Sanch. disp. 23. num. 7. Coninch. dub. 9. concl. 6. num. 9.

18 Coniux verò sanæ mentis per se non tenetur debitum reddere amenti petenti, quia ea petitio non est vñs dominij, cum non sit humana, & rationalis. Per accidens tamen obligari potest ad grauiora mala vitanda: sic Sanch. dicta disp. 23. num. 10. Coninch. num. 79. Quod si redditio debiti amenti nocua sit, pensanda est qualitas damni, ut inde colligitur, an sub graui, vel sub veniali culpa debeat coniux sanæ mentis à redditione abstinere? uti notauit Basili. Ponce, lib. 10. cap. 14. in fine.

§. V.

An ratione cognitionis spiritualis priuentur coniuges debiti petitione, & redditione?

- 1 Cognatio spiritualis matrimonio superueniens, impedit debiti petitionem, & qualiter?
- 2 Extenditur prædicta doctrina ad paritum.
- 3 Si extra necessitatem proles communis, vel alterius coniugis baptizetur, leuetur à sacro fonte, coniux huius culpa immunis debitum exigere potest.
- 4 Prædictum munus culpabiliter exercens debitum nequit petere secundum communem sententiam.

5 Verior est qua negat se delinquentem priuatum esse debiti petitione.

Cognatio spiritualis, quæ ex Baptismo, vel Confirmatione nascitur superuenit matrimonio potest, ut si parens prolem alterius coniugis ex alio matrimonio, vel ex presenti habitam baptizet, vel de sacro fonte leuet, aut in confirmatione teneat. Si igitur hoc fiat ex necessitate, quia non adest alius qui id præstet, nullatenus impedimento est petendi, vel reddendi debitum, ut videtur expressè decium in cap. ad limina, 30. quæst. 1.

Et licet hic Textus solum de baptizante loquatur, communiter Doctores extendunt ad Patrium tam in baptismo, quam in confirmatione, & merito; cum ratio ob quam in baptismo excusatur impedimentum, est, quia nulla committitur culpa; at leuans de sacro fonte, vel in confirmatione teneans, cum non adest alius, nullam culpam committit, sed munus ab Ecclesia statutum præstat. Non igitur vllum impedimentum petendi, reddendique debitum contrahere debet, ut ex communi sententia firmat Sanch. lib. 9. disp. 26. num. 3. tamen contra sententiam Henriq. lib. 11. cap. 15. num. 15. Petr. de Ledesma. quæst. 66. art. 1. dub. 1. in princ. Basili. Ponce, lib. 10. cap. 6. num. 6. Et idem est quando abique vlla culpa hoc munus à coniuge præstitum fuisse; eo quod ignorantiam iniuicibilem haberet prædictum baptizatum esse suum, vxoris sue filium, quia hoc impedimentum, & prohibitio petendi debitum, cum poena sit, culpam exigit; ut tradit tanquam omnino certum Coninch. disp. 34. dub. 8. in intro. Azor. 1. 3. lib. 3. cap. 31. q. 10. difficult. 3. Basili. Ponce, lib. 10. cap. 6. num. 9. & colligitur ex cap. si vir de cognat. spirituali. Quinimo si factum iure cum ignorantia huius legis prohibentis, & interdicentis contagibus prædictum officium, cessat impedimentum ob eandem rationem, quia cessat culpa, ut pluribus firmat Basili. dicto cap. 6. num. 8. Quod aliqui extendunt non solum ad ignorantiam prohibitionis, sed etiam ad ignorantiam huius poenæ, sub qua est prohibitio facta, ut reuertit Basili. num. 12.

Si verò ab vno coniuge extra necessitatem, atque adèò culpabiliter proles communis, vel alterius coniugis baptizetur, leuetur à sacro fonte, aut in confirmatione teneat, coniux qui huius culpæ particeps non est, debitum exigere potest, quod illi necessariò est reddendum, ut ex omnium sententia testatur Coninch. disp. 34. dub. 8. num. 84.

Quocirca difficultas est, An culpabiliter exercens prædictum munus à debiti petitione arceatur, ita ut si vterque coniux culpabiles existant, neuter possit debitum petere, neque vlla sit illi obligatio reddendi? Affirmat communis sententia teste Sanch. lib. 9. disp. 26. num. 6. Gutier. de matr. cap. 100. num. 6. Mouetur ex Textu in cap. peruenit. & cap. si quis 30. quæst. 1. ubi coniuges prædicto impedimento ligati iubentur separari. Secundò in cap. nosse eadem causa, & quæst. dicitur non esse separandos coniuges, si vtriusque consensu impedimentum non acciderit: tacitè indicans si vtriusque consensu contigisset separandos esse. Tertio in cap. ad limina excusat Textus à prædicto impedimento coniugem, qui in necessitate proprium filium baptizatur, quia laudabiliter fecit: at qui extra necessitatem baptizasset nullam excusationis causam haberet. Quarto in cap. si vir de cognat. spirituali, multo ius vxoris filium in baptismo suscipiens non separatur à coniuge, ne ei fraus patrocinetur, at negata ei potestatem petendi, & concessa obligationi reddendi nullatenus fraus patrocinetur. Ergo asserendum est sic delinquentem iure exigendi debitum priuatum esse.

Ceterum etsi prædicta sententia communis sit, verior est qua negat sic delinquentem priuatum esse debiti petitione, ut tradit Glossa in cap. 2. de cognat. spirit. verbo Debitum. Et ibi Anchar. Præposit. & Cardinal. Durand. in 4. d. 42. quæst. 1. art. 3. Suarez. 1. 3. de Sacram. quæst. 67. art. 8. §. penult. Coninch. disp. 34. dub. 8. num. 69. Basili. Ponce ex parte, lib. 10. cap. 6. num. 4. Gaspar Hurtado disp. 10. difficult. 6. num. 24. Mouetur, quia hæc grauissima poena nullo iure aperto statuta est, ut constabit ex solutione Textum qui num. præcedenti referuntur. Quinimo ex aliis Textibus contrarium manifestè colligitur, ergo inducenda non est. Minorem in qua est tota difficultas sic probò. Nam Textus in cap. peruenit loquitur de feminis, quæ ante contractum matrimonium filios in concubinato susceptos leuauerunt, quas mirum non est ut à vitis separarentur, cum eorum coniugium nullum sit. Eandem explanationem habet Textus in cap. si quis filiastrum, ac proinde hi Textus ad rem non faciunt. Et esto intelligendi sint de impedimento post matrimonium contracto correcti censendi sunt per Textum in cap. nosse. Cap. de eo. Cap. ad limina eadem causa, & quæst. Et cap. si vir de cognat. spirituali: Ex reliquis verò Textibus scilicet Nosse. Ad limina 30. quæst. 1. Ex Textu in cap. si vir de cognat. spirit. solum à contrario sensu argumentum fit, quod in iure firmum non est, maxime in poenis extendendis: sæpè namque Pontifices sua responsa cum limitatione proferunt, specialèque rationem afferunt, non ut indicent, ea limitatione, aut ratione deficiente contrarium esse.

